

50 R.

DE
DOCTORIBVS ECCLESIAE

IN

ADMINISTRANDO MVNERE SACRO NOVI FOEDERIS
DEO PROBATIS

AD ILLVSTRANDVM LOCVM *Jesaiæ XXXII, 8.*

EXPOVNNT ET

VIRO SVMME REVERENDO DOCTISSIMO
EXCELLENTISSIMO QVE DOMINO
DOMINO

GOTTLIEB MERKELIO

TORGAVIENSIS ECCLESIAE PASTORI PRIMARIO
DIOCESEOS ANTISTITI LONGE MERITISSIMO SCHO-
LARVMQVE INSPECTORI GRAVISSIMO
EPHORO SVO VENERANDO

SVMMOS

IN THEOLOGIA HONORES

QVIBVS

IN VETVSTA ET ILLVSTRI LIPSIENSIVM ACADEMIA

PRID. CAL. DEC. MDCLXKV. EVERAT EXORNATVS

PIE GRATVLANTVR

MINISTRI VERBI DIVINI DIOECSEOS TORGAV.

INTERPRETE

M. IOANNE ANDREA SIEPIO

PASTORE PRIM. DOMMITIENSI ET EPHORIAE ADIVNCTO

TORGAVIAE, TYPIS RUIDELIANIS.

DOCIMIUS FORTIS
VOCAMUS MUNICIPALIA
DODONIAE
HISTORIA
ANNO SVBIRI HABUERI DODONIO
EXCLAMATIONE DOMINI
DODONIO
GOTTES MERITO
OBITUS
HOMINIS
IN THEOLOGIA HONORIS
EXALTO
IN VENIENTIA
MAGISTER
M. IOANNUS ANDREA SINTIO
SOPRANUS ET RIBELLIA

VIR
SVMME REVERENDE DOCTISSIME
EXCELLENTISSIMEQVE
PRAESVL OMNI PIETATIS ET OBSERVANTIAE
CVLTV PROSEQVENDE

 Ita dum rerum sacrarum ac publicarum moderatoris,
cunctorumque imperiorum statoris praepotentis, et sa-
pientissimi effectum est prouisione, vt, VIR SVMME VE-
NERABILIS, in locum diui MARTINI GRVLICHII, magni nominis Do-
ctoris Theologi, meritisque celeberrimi, non tantum suffectus,
sed etiam nouo fueris auctus honoris gradu, facultate Doctoris
Theologi, in perantiqua et florentissima Lipsiensi Academia, su-
cepta, qua TE nos omnes longe dignissimum iudicamus. Fau-
tricem enim talem a Deo in tribuendis animi et corporis dotibus
nactus es naturam, vt in TE quid efficere possit, experta videatur.
Non enim solum breui, et sine magnis fortunis cuncta sanioris
doctrinae spatia confecisti, sed quoque in aliis scientiarum gene-
ribus excellis, vt cum laude ad hunc altissimum sacri honoris per-
venire potueris gradum. In felicitatis parte est ponendum, fateor,
et magnum quid, acceptam a maioribus gloriam tueri et ampli-
ficare: Sed maior laus est TVA, qui eam magnitudinem, quam ipse
nullam habuisti, et quam multorum saepe maiorum gloria non
confert, TIBI ipsi acquisiuisti. In qua re ego quidem dubito, mul-
tos

tos ne pares, an prorsus habeas nullos. Talem tantumque Ephorum nos nobis gratulamur, sed nostrum etiam est, ut TIBI, VIR CELEBERRIME, de TVA felicitatis ac dignitatis hujus amplissimae accessione ea, qua par est, obseruantia gratulemur. Cum vero gratulandi argumentum meditamus, occurrit locus insignis et subdifficilis vatis Iesaiæ c. XXXII, 8. Quem diuina adiutio gratia, breuiter sumsimus enucleandum. Verba et succi et solatii plena, quae vates diuinior, singulari Numinis adflatu excitatus, protulit, sic se habent:

ונדיב נדיבות יען והוא על נדיבות יקום

Versio septuaginta viralis:

Οι δε ευσεβεῖς συνεται εβδηευσαντο, και η βελη μενει.

Versio Vulgata:

Princeps vero ea, quae digna sunt Principe, cogitabit, et ipse super Duces stabit.

Versio Francisci Junii:

Ingenuuus est, qui ingenua consilia init, et qui rebus ingenuis interficit.

Versio Sebastiani Castellionis: ενον μηνιον
Nobilis nobilia decernit, et nobilitare evehitur.

Versio germ. B. Lutheri:

Aber die Fürsten werden fürstliche Gedanken haben, und darüber halten.

§. I.

Ex nexus antecedentium, et scopo dicentis liquet, de nomine alio, nisi de Messia, Rege, eiusque regno, in hoc capite esse sermonem.

Multa in promptu sunt argumenta, quibus oratio vatis Iesaiæ Christo, Regi aeterno, huius vniuersi summo moderatori adseri potest et vindicari, ita, ut prolixiori probatione haud indigemus,

mis, quamvis interpres non in eandem loquantur sententiam.
Nam in duobus praecedentibus capitibus, et dissidentiam ac le-
titatem Iudeorum grauiter obiungat Deus, quod eorum prin-
cipes, non vero rex pius HISKIAS, in Aegyptum confugerint, et ab-
Aegyptiis, quorum reges communi nomine Pharaones diceban-
tur, auxilium, et quidem inconsulto ore Domini, aduersus Af-
fyiorum regem SENNACHERIBVM implorarint. Rex Assyriorum
SALMANASSAR regem regni Israelitici ultimum HOSEAM cum decem-
tribus in captiuitatem antea abduxerat, vrbe Samaria, sede regia,
obsessa et expugnata, totique regno fine imposito. Quo facto, fi-
lium SALMANASSERIS SENNACHERIBVM sua fretum potentia cupido in-
cessebat, regi Hiskiae bellum inferendi, ac funesto pari modo re-
gnum Iudei delendi, hinc principes populi perterriti ac nimio ti-
more perculsi legatos magna cum pompa mittunt in Aegyptum,
petituros sibi auxilium, mulis, camelis iumentisque, munieribus
splendidissimis, ingentique pondere onustis. Sic Ebraei, populus
Dei, fiducia omni et spe in verum Deum abiecta, proh! ad Aegy-
ptios deficiunt. Quae nefanda scelera aequo animo justissimus
Deus ferre non poterat, qua de causa vates Dei populo huic Vae!
acclamare iussus est, eique cuncta mala et infusa comminari. Fi-
ducia igitur et spe sua plane inani ac vana in Aegyptios, quin imo
ignominiosa, populum turpiter deceptum iri, Propheta pronun-
tiat, hominem enim Aegyptum esse, non Deum, eorumque equos,
carnem infirmam et inopem, non autem Spiritus sancti virtutem.
Nam omnis caro est foenum, et omnis gloria ejus tanquam flos
agri, teste hoc vate c. XL, 6. Idem internacionem manu Domini
omnibus minatur, ut corruat auxiliator et cadat, cui praestatur au-
xilium, simulque omnes consumantur. c. XXXI, 3. Nulli vero
confunduntur, qui spem in Deo collocant, sed in ruborem dan-
tur, qui perfide agunt, ac foedus cum Deo initum, voluntaria mali-
itia frangunt et violant, deficientes ad Satanam eiusque asseclas. Pf.
XXV, 30. Deus vero Optimus Maximus non delectatur morte ac

interitu impiorum, sed haec est voluntas clementissimi Numinis,
vt conuertantur et viuant. Qua de causa hic Deus verus tanto ma-
iori est propensione ad benefaciendum, quanto minori est ad pu-
niendum. Beneficia enim eius opera sunt propria; poenae autem
aliena. Pro infinita sua misericordia vero Deus nolebat committe-
re, vt hic populus Iudaicus imis euelleretur stirpibus, quia illum
peculiariter proprium et carum prae reliquis terrae nationibus maxi-
mis beneficiis ornauerat, ac in perpetuam sibi reseruauerat pos-
sessionem. Ab aeterno enim decretum erat, vt ex hac gente in ge-
neris humani solatium Messias Homo nasci deberet, ex eaque suam
colligeret Deus ecclesiam. Quam ob rem Dei spiritus gentem
istam, a Deo auulsam, ad bonam hortatur frugem, vt ad mentem
vitamque redirent meliorem, luculenta promissione subjuncta:
Hostem Assyrium esse casurum non gladio hominis, sed ferro sancti
angeli. Quae promissa diuina seruata legimus Ies. XXXVII,
36. vbi stupenda et mirabunda clade in exercitu Assyriorum maxi-
mo angelus Domini vnicus centum et octoginta millia quinque
Assyriorum percussit extinxitque nocte vna, vt ipse Rex fuga pe-
tierit salutem. Ingens hoc gratiosum ac gloriosum omnino fuit
Dei Regis regum beneficium in ecclesiam suam collatum, adver-
sus potentem hostem ac arrogantem. Tanto enim Deus suae ecclie-
siae est praefidio, vt inferorum portae eam nequeant superare.
Quam ecclesiam suam N. F. Deus primum in Zion et Hierosolymis
collectam voluit, cui tanto arctissimo coniunctus est vinculo,
vt ei instar Patris familias inhabitare, et cui ibidem sius ignis et
focus esse dicatur. Proinde liquet, cur ecclesia N. F. in omnem
mundum longe lateque dispersa, filia Zionis et Hierosolymarum,
tanquam matris suae adpelletur. Quo itaque valeat illustre hoc
nostrum varicinium, nemo non intelligit, nempe, quod CHRISTVS
filius Dei ecclesiae et regni sui Rex sit, quod hisce in terris con-
stituit, de quo in sequentibus.

§. 2.

Characteres Messiae, Regis, ejusque regni conditio indicantur.

Vates Iesaias promissionibus euangelicis abundans, amplissimis Regem ejusque regnum digito quasi monstrat, dicens:
הַן־לְצִדְקָה יִמְלֹךְ מֶלֶךְ וּלְשִׁירָם לְמַשְׁפֵט יִשְׁרָאֵל

ecce in iustitia regnabit rex et principes ad judicium principatum gerent. Graui magnifico et maiestatis pleno dicendi genere vtitur vates in describendis Messiae Regis eiusque regni characteribus. Nam sub terrenorum et corporalium imagine locutionibus propheticis coelestia adumbrat ac spiritualia. Vocula הַן est notabilis spiritus sancti digitus, quo excitat ad attentionem, quando in nouae rei descriptione et certitudinis eius versatur adseueratione. Quid vero magis attentionem merebatur, et quid noui magis audiiri poterat, quam aduentus MESSIAE ac eius regnum. Qui Rex Messias regnabit in iustitia, et omnes regii muneric partes perfectissime implens, quod ipsi antiquissimi Iudaei negare non audent. Non enim loquitur Prophet a de rege Iudeorum HISKIA, qui tunc temporis praefens regnabat, sed de Rege futuro MESSIA, qui homo nasciturus et in adsumta H. N. regnum gratiae sit constituturus. Quem regem Pater coelestis ad munus illud regium publice sic inaugurauit: אָנֹת נְסֻכָּתוֹ מֶלֶכְיָה עַל־צִוְּן־הָרָקְדָּשִׁי Ego vero inunxi, (vngendo, inauguraui) regem meum super Zion monte sanctitatis Psalm. II, 6. Quemadmodum Reges et sacerdotes, ac Prophetae in V. T. vngebantur, vinctique vocabantur, cum balsamo sacro, suauissimo et fragrantissimo mirifice ac intime reficerentur: Sic Christus oleo laetitiae dicitur inunctus, cum vngendo gratiosissimis atque infinitis Spiritus S. donis secundum H. N. in primo conceptionis momento ad triplex officium suum obeundum instructus fuit atque inauguratus, testibus Dauide Ps. XLV,

8. et

3. et Iesaja LXI, 1. Inter complures characteres vero Regis MESSIAE sunt, quod sit natus tempore, ab aeterno a Deo nativitati CHRISTI destinato, de quo Iacobus moribundus est vaticinatus:

לא יסור שבת מיהודה ומתקין מבין רגליו עד כי יבא שללה

Non discedet sceptrum de Iudei, neque legislator de pedibus ejus, donec veniat Schilo. Gen. XLIX, 10. Schilo est nomen MESSIAE proprium; Tranquillatorem designans, aequi pollens illi Ief. IX, 6. ubi nominatur: שֶׁר־שָׁלוֹם Princeps pacis. Nam ante aduentum CHRISTI in mundum, cuncta inter Iudeeos erant valde turbata; post aduentum vero eius omnia reddeabantur pacata. Ipsa antiqua Iudeorum ecclesia insigne hoc vaticinium de Messia nunquam non accepit. Luculentus est testis ONKELOS in paraphrasi chaldaica: Non auferetur עבר שילטן babens potestatem a domo Iudee, neque scriba a filiis filiorum ejus usque in seculum, donec venias ספרא Messias, cuius regnum est, et ei obedient populi, cui Targum Hierosolymitanum suffragatur: SCHILO esse nomen MESSIAE, cuius regnum est spirituale. Tanto minus de veritate MESSIAE IN CARNE manifestati dubitandum est, quanto magis sole clarius elucet, vaticinium DANIELIS de speruaginta hebdomadibus propheticis, quae quadringentis et nonaginta absoluuntur annis, ad amassim usque ad CHRISTI aduentum esse impletum. Dan. IX, 24. et quid dicamus de CHRISTI loco nativitatis, quem vates MICHA haud secus, lumine diuino collustratus, accuratissime descripsit, ac si eodem tempore vixisset, Mich. V, 1. de qua veritate ipsi sacerdotes, ac periti legis Hierosolymitani usque adeo persuasi et conuicti erant, ut, proposita ab HERODE quaestione: ubi CHRISTVS nascedens esset, Bethlehemum nominarent, id quod diuinus scriptor MATTHAEVS suo testimonio confirmat. Matth. II, 3. 4. 6. Qua in re grauissima silentio non est praetereundus IOANNES praecursor CHRISTI, quem Iesaias noster ante faciem Domini praeiturum, ac viam ei in corda mortalium paraturum, praedixit. Ief. XL, 3. quem MESSIAS ipse suum angelum, seu legatum adpellat, qui viam ei in cor-

da

da pararet, Malach. III, 1. quem etiam dicit missum, c. IV, 5,
quid? quod in N. T. vaticinium Malachiae expressis verbis ad IO-
ANNEM applicat ετος γαρ εσιν, παρ & γεγενηται ιδια εγω αποσελλω του
αγγελον με προ προσωπου σου, ος πατασκεψει την οδον σου εμπροσθεν σου.
Hic enim est, de quo scriptum est: Ecce, ego mitto angelum meum ante
te faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te. Matth. XI, 10.
Decebat enim MESSIAM talis excellentis praecursoris opera ut,
qualis erat IOANNES, nihil terreni praeseferens, quoniam a mini-
sterio erat non regis terreni, sed spiritualis. Qua ratione non de
rebus gerundis agebat terrestribus, sed de meritis spiritualibus,
cum Iudei essent primi, quos IOANNES ad CHRISTVM, mundi ser-
vatorem, agnoscedum, credendum et colendum inuitauit, nec
non a contumacia et incredulitate, qua in tantas aerumnas incide-
rant, reuocauit. Quo facto, IOANNES grauiter Iudeos refellebat,
qui MESSIAM futurum, potentem in animum induxerant, vi ac glo-
ria mundana stipatum. Quid vero Ioannes? vos Iudei, toto coe-
lo erratis, sed *metaverte*, mentem vestram commutate ac resipisci-
te, regnum coelorum, h. e. regnum non terrenum, sed spirituale
in V. T. praedictum, adpropinquauit. Matth. III, 2. Cum ita-
que tunc temporis in via, Domino paranda, occupatus esset IOAN-
NES, omnemque baptizaret populum, accedit ad eum IESVS CHRI-
STVS, seruator mundi, triginta fere annos natus Luc. III, 22. Nam
tempus, a Deo praefinitum, aderat, quo munus ipsi propheticum
erat subeundum. Aduenerat igitur CHRISTVS ex Galilaea, et specia-
tim ex oppido Nazareth ad Jordanem, fluum terrae sanctae pri-
marij ut baptizaretur ab ipso IOANNE, non quidem propter se, ac
si ipse sacro hoc indigeret lauacro, quoniam ipse erat sanctus *ανθρωπός*
μαρτυρός et a peccatoribus segregatus, Ebr. VII, 26. sed nostri cauf-
fa, ut omnem pro nobis impleret justitiam, amissam recuperaret
nobis justitiam, ac baptismum, initiationis sacramentum N. F. san-
ctificaret, ac vt Pontifex N. F. αρχιερευς των μελλοντων αγαγθων, in-
star Pontificum V. T. Exod. XXIX, 4. Leuit. VIII, 6. utpote qui

sanctitatem CHRISTI figurabant, initiaretur, quo tempore admiranda et notatu vox dignissima de coelis audiebatur: *ετος εσιν ο νιος μη ο αγαπητος, εν ω ευδοκησα.* Hic est filius meus dilectus, in quo conplacui. Matth. III, 17. quo diuino testimonio coelestis Pater filium suum primogenitum in orbem habitabilem introduxisse videtur, de quo testatur PAVLVS apostolus Ebr. I, 6. *οταν δε παλιν εισχωρη τον πρωτοτοκον εις την οικουμενην, λεγει προσκυνησατωσαν αυτω παντες αγγελοι Θεοι.* Cum autem iterum introduixerit primogenitum in orbem habitabilem dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei. Quem locum SEB. SCHMIDT bene ira exponit: *Aduentus autem, in quo CHRISTVS introducitur in orbem, est aduentus in carnem, seu incarnatio, et, qui eum infecutus est, status exinanitionis in hoc mundo, in quo statu autem CHRISTVS est carne humana vestitus, baptizatus et regnum gratiae erexit.* Consentit nobiscum Magnificus ac celeberrimus noster IOANNES FRIDERICVS HIRTIVS, sacerorum Vitembergensium Antistes, qui hunc in locum doctissimo et elegantissimo scripto commentatus est, vbi docet, particulam παλιν, cum verbo εισχωρη connexam quidem, non semper rei iam factae repetitio nem, sed nouam tantum constituere allegationis notam, ut nec esse non sit ex particula hac praecedentem aliquam statuere introductio nem, et quod particula δε tantum sit expletiva. Quare vero CHRISTVS ab omnibus angelis fit adorandus, fit ex hac ratione, quia longe praestantior est angelis, eorum creator et Dominus. Cum igitur perspicuum sit planeque de regis CHRISTI veritate constet, dispiciamus etiam subditorum eius indolem. Qui subditi veri sunt regni et ecclesiae socii, quos PAVLVS apostolus in N. T. ita compellat: *εποιοδομηθεντες επι τω θεμελιω των αποσολων και προφητων, ουτος απεργωνται αυτες Ιησος Χριστος.* Superaedificati fundamento Apostolorum et Prophetarum, existente summo angulari ipso Iesu Christo. Ephes. II, 20. vbi non Apostolorum et Prophetarum personae intelliguntur, sed eorum ministerium sacrum. Quos Apostolos et Prophetas, et successores eorum IESAIAS in oraculo nostro, commate

mate I. principes appellat, qui judicium administrant, vt omnia
euσχημονος και πατε ταξιν fiant, 1. Corinth. XIV, 40. de quibus po-
stea dicemus. Quo imperante CHRISTO rege quilibet subditorum
ac fidelium ita tutus in aduersis erit, sicut tutus est, qui flante ve-
hementiori vento, aut decidente grandi imbre, latebras habet suas
munitas, in quas confugit. Et quemadmodum CHRISTVS maxi-
ma vi ac potestate prorsus diuina et infinita praeditus, multa mi-
racula edidit, coecis oculorum lumen restituendo, claudorum at-
que debilium artus firmando, leprosos mundando, surdis aures
aperiendo, mutis linguae vsum reddendo, mortuos in vitam re-
vocando, ex daemoniacis genios malignos eiiciendo, Matth. XI,
5. de quibus IESAIAS vaticinatus est c. XXXV, 5. 6: Ita vates fide-
lum dona sanctificantia nostro in capite, commate 3. 4. 5. adum-
brauit, fore, vt oculi et aures fidelium in N. T. spiritus sancti a-
periantur, gratia vt Dei opera videant et celebrent. Qui antea re-
rum spiritualium coelestiumque fuerunt ignari, sapientia coelesti
donabuntur, et quibus antea p[re] timore tyrannorum instar balbu-
tientium perfecte ac libere loqui non licebat: nunc veritatem diu-
nam imperterriti ac liberius fatebuntur. Multis modis differt re-
gnum CHRISTI a regno mundano. Quo in regno mundano impe-
rantes multi multa crudeliter auareque faciunt. In regno hoc stulti
subinde dicuntur ingenui, et auari, munifici, cor autem eorum
machinatur iniquitatem ac simulationem, erroneas de Deo fouent
opiniones, vt vacuam faciant animam famelici spiritualis, ac sub-
trahant sipienti potum. O quantum immensum distat regnum CHRI-
STI a regno mundano! in quo autem non excluduntur christiani
principes ac pii, quos Deus nutritores ecclesiae suae constituit. Ies.
IL, 23. Qua mente igitur ac indole ministri ac doctores ecclesiae
sint praediti, meliora sentiant et peragant, nunc videbimus. *)

B 2

§. 3.

*) In Commentatione Exegetica, Introductionem Primogeniti in orbem
habitalem explicante, Jenae, MDCLIV.

§. 3.

Defelici et spirituali administratione regni Christi, jam
triumphantis, exponitur.

Doctores ecclesiae insistunt Principis sui CHRISTI vestigiis,
quos IESATAS, vates, hunc in modum per elegantem figuram di-
ctionis Rhetoricam describit:

ונריב נדיבות יעץ והוא על נדיבות יקום

sed ingenuus ingenua consulit, et idem super ingenuis persistet, ni-
mirum ingenuis omnia de actionibus consilia ita instituet, ut in-
actionibus eius candor et integritas nullo non tempore eluceat.
Quae omnia optime in ecclesiae doctores quadrant, quorum pri-
mi in N. T. fuerunt post IOANNEM Baptistarum, duodecim CHRISTI
apostoli, LXX. discipuli et generatum eorum successores, qui ea,
quaes personis suis digna sunt, cogitant, ea in animo suo voluunt et
tractant, et quaes ad Dei gloriam et ecclesiae veram ac perpetuam
felicitatem pertinent, peragunt. Cuiusmodi ecclesiae doctorem vo-
cat vates נריב ingenum, liberalem, Principem. Quae vox subin-
de admittit significationem Principis, cuius est, liberalem esse ac
munificum, Iob. XII, 21. c. XXXIV, 18. Pf. XLVII, 10. graece
ινοτας ευεγενην Luc. XXII, 25. vero in genere hominem
recti animi ac ingenui sensus, qui vult et agit, quae hominem
bonum et liberum decent, estque nomen generale, quod de quo-
uis munifico adhibetur, qui vi radicis נריב sponte mouetur, incita-
tur ad voluntarie conferendum, sua sponte, libere, non inuite aut
coacte, sed voluntate sua ad honesta et laudabilia impellitur ac
permuetur. Sic in primis usurpatur de eo, qui ad spontaneas
oblationes ad extruendum sanctuarium paratus erat אשר ידבנו לבי
quem cor ipsius sponte impulit. Exod. XXV, 2. de holocaustis
spontaneis adduxit; 2. Chron. XXIX, 31. de fidelibus, qui sunt
עם נריב et omnis spontaneus corde holocau-
fa adduxit; 2. Chron. XXIX, 31. de fidelibus, qui sunt
עם נריב po-

populus spontaneus CHRISTI, qui ducem suum sponte sequuntur,
illeque libero spiritu obedientiam praestant, quas voces
שְׁמָנוּם interpretes, vulgatas, ac B. IVTHERVS tanquam nomen proprium,
Ammittadab, coniunxerunt. Cantic. VI, 12. Adhibetur
etiam de oblationibus spiritualibus, Pf. CX, 3. CXIX, 108. specia-
tim de CHRISTO dicitur, qui est principum Princeps, ac Dominus
dominorum, munificentia sua illuftrissimus.

בָּי שְׁרֵי יְשֻׁרוּן וְרוּבִים כֹּל שְׁפֵטָי אֶחָז

*Per me principes regnant, et omnes potentates sententiam ferunt
in terra.* Prou. VIII, 16. Hie vere זְדִיב est, quoque exemplo sanctissimo paravit nobis viam, ve רָוח נְרוּבָה Spiritus ille principalis nos fulciat, roboret et confirmet Psalm. LI, 14. Quo titulovates ornat Apostolos CHRISTI, qui imitantur suum Principem, et de quolibet eorum dicit: זְדִיב נְרוּבָה יְעַצֵּז et princeps in regno CHRISTI, ingenuus, liberalis, ingenua, liberalia consulit, animo proponit et decernit. Hosce yates opponit iis principibus, qui in regno mundo quidem liberales et *everyetæ* dicantur, sed non sunt, quibus hoc nomen non est virtutis, sed tantum dignitatis. Bene in hunc locum IOANNES BRENTIVS apud B. CALOVIVM in Annotatis ad Esaiam Anti - Grotianis c. XXXII: *In regno mundo vocabula verum inuerruntur, stultus et sor didus saepe vocatur Princeps, et avarus, oppressor pauperum, vocatur munificus.* Sed in regno gratiae non ita, quod alias mores postulat. Quod vero Apoliti quoque Principes dicantur, probant sacrae literae. Sunt enim Regis sui CHRISTI Principes, de quibus David:

הַחַת אֲבֹתֶיךָ יְהוָה בָּנֵךְ תִּשְׁתַּחוּמוֹ לְשָׂרִים בְּכָל־הָאָרֶץ

Loco patrum tuorum, (o Messia,) erunt filii tui, confitues eos Principes in omni terra, Pf. XLV, 17. quae verba B. MARTINVS GEIERVS in praestantissimo commentario ita explicat: *Loco parentum tuorum erunt multi filii, nimisrum Christiani, per totum orbem geniti.* *Vel loco Doctorum morientium, qui sunt instar Patrum, noui sem-*

per suppulabunt discipuli, vices Doctorum subeentes. Pro patriarchis erunt Apostoli; pro Apostolis Episcopi. *Principes*, h. e. *filii tui erunt magnae non quidem apud mundum, (ex quo non est regnum tuum,) sed apud Deum atque angelos, dignitatis, praferentur cunctis hominibus ceteris incredulis.* Quibus addimus locum ex Psalmo. LXVIII, 12. *Dominus dabit sermonem המבשר הוּא Euangelizatricum exercitus multos, hoc est, Euangelizantium. Quae verba innuunt, praestantissimos praedicatores Euangelii a Deo esse mittendos, vbi foeminum genus de foeminis Deo tripudiantibus proprie adhibetur.* Solent enim Prophetae res et cultum N. T. iisdem formulis describere, quae suis temporibus vsu veniebant. Commate 13. pergit DAVID:

מלך צבאות ודרון ונוט בית החלק שלל

Reges exercituum fugiunt, fugiunt, et habitatrix domus distribuit spolium. Quod per reges exercituum intelligantur Apostoli ac ingens numerus praeclarissimorum doctorum ecclesiae N. T. nullum est dubium, quia totus hic Psalmus in sensu literali agit de CHRISTO, ac in primis de Euangelistarum et doctorum missione et ipse PAVLVS in N. T. hunc Psalmum allegat, et quidem Eph. IV, 8. vbi citat versum 19. Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, et dedit dona hominibus, quando nempe Apostolos variis spiritus S. donis instruxit. Sed quid per verbum יְהוָה fugiunt, quod iteratur, sit intelligendum, non satis constat. Haud displicet nobis explicatio B. SAMVELIS BOHLII, Rostochiensium olim Professoris Thel. in Analytica Paraphrafi Psalmorum in hunc locum: Exercitus Regum, inquietis, Apostoli ac doctores a se se inuicem discedent, et in viuierum orbem excurrent, incitati et celeriter impulsi. Pertinet etiam huc comma 28. vbi Apostoli ex tribubus ibidem dictis, orti, Principes nominantur. Principes autem dicuntur Apostoli non propter aliquam secularem potestatem, sed propter potestatem Spiritualem praedicandi Euangelium, ac poenitentibus remissionem peccatorum annunciandi et conferendi;

contu-

contumacibus vero eadem retinendi. Hanc enim, hanc solum
tribuit Dominus Apostolis, eorumque successoribus, vi locorum
Matth. XVI, 19. Δωσω σοι τας ψλεις της βασιλειας των θεων. dabo tibi, Petre, (non tamen exclusis reliquis tuis commilitonibus, ac
successoribus, neque ut meo vicario, sed ut oeconomo,) *claves*
coelorum. Et quam potestatem CHRISTVS Apostolo PETRO conce-
fit, eandem etiam reliquis Apostolis largitus est, ac, insufflans eis,
dixit: λαβετε πνευμα αγιον. Av τινων αφιέτε τας αμαρτιας, αφιένται αν-
τοις. Av τινων κρατητων, κακεστηκται. Accipite Spiritum sanctum; Quo-
rum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, re-
tentia sunt. Ioh. XX, 22. 23. Quae verba docent, remissionem
peccatorum non solum annuntiari, sed et reapse per ministros ec-
clesiae conferri. Quae potestas remittendi peccata est eadem, quae
CHRISTO secundum H. N. est communicata, et latet sub illa inclu-
sa, de qua Seruator dicit: εδοθη μοι πατα εξουσια εν θεω και επι γης
Data est mihi omnis potestas in celo et in terra, quo dicto, pergit
Dominus: πορευεσθε εν μαθητευσατε παιντα τα εθνη, βαπτιζοντες αυτους.
Euntes, discipulos facite, baptizantes eos. Matth. XXVIII, 18. 19.
In proposito itaque est, hanc potestatem non esse secularem, sed
spiritualem, illam enim CHRISTVS discipulis suis in vniuersum pror-
fus in illustri et classico interdixit: οι βασιλεις των εθνων κυριευσον
αυτων, και οι εξουσιοντες αυτων ενεργηται καλενται. Τμεις δε εχειστωσ.
Reges gentium dominantur eis, et potestatem habentes super eas, be-
nefici vocantur. Vos autem non sic. Luc. XXII, 25. 26. In quibus
verbis tantum abest, ut Apostoli eorumque successores prohibe-
antur esse ενεργεται, liberales ac benefici, ut potius PAVLVS eos de
Φιλοξενia, hospitalitate admoneat, i. Tim. III, 2. Idem diuinam
praedicat gratiam, quod Deus labori sacro ita benedixerit, ut sua
opera et indefesso studio Corinthii omnium bonorum spiritualium,
omnis doctrinae salutaris, cunctaeque cognitionis diuinae di-
uines fuerint redditii. i. Cor. I, 5. Atque eadem de spirituali libera-
litate ac beneficiis Apostolorum erga ecclesiam Corinthiacam lo-
cuple-

eupletissimus testis est PAVLLVS, quod, quamvis essent terrestrium
bonorum inopes, multos tamen multis spiritualibus locupletauer-
int bonis. 2. Corinth. VI, 10.

Sed enim praefracte contradicunt Praesules Romani chri-
sto Seruatori, ac dant se turpiter, vt pote qui secularem jarisdicti-
onem et regimen monarchicum sibi arrogant, ac usurpant, cum
tamen Liberator noster quoad versatus est inter mortales, ipse
non Principis, aut Imperantis, sed doctoris munia obiit, seque
ciuilli potestati submisit. Luc. XII, 14. Ioan. VIII, 11. Cum vero
Nouum Foedus nouam docendi rationem nouamque oeconomi-
am exposceret, noua etiam reuelatio ac dona administrantia Apo-
stolis erant necessaria, quae etiam eis per effusionem Spiritus san-
cti promittuntur, de qua vates noster ita vaticinatur commate 15:

שׁ רְדֵה עַל יְמִין רֹוח מָרָם

Donec effundatur super nos Spiritus ex alto: Particula 14 Donec
respicit ad praecedentia, in quibus vates commate 19. capitilis no-
stri Reipublicae Iudaicae ultimam euersionem, per Romanos fa-
ctam, praedicit et comminatur, in qua comminatione Propheta
mulieres tranquillas, securas ac insolentes h. e. ciuitates Iudai-
cas opulentiores, ad audiendam vocem suam attento animo, ac fi-
liae, pulchritudine sua confidentes, ad auscultandum sermonem re-
uerenter, nec non ad poenitentiam seriam agendum, adhortatur.
Stupenda vero commemorantur poenae Iudeis contumacibus
infigendae, nimirum vastatio messis ac vindemiae, nuditas et
depraedatio, agrorum sterilitas, vnde fames et luctus publicus,
urbium ac palatiorum desolatio, quae omnia duratura dicuntur
vsque ad aduentum Messiae, qui describitur in sequentibus de fru-
ctibus eius ac emolumenis erga genus humanum, vbi primo lo-
co ponitur effusio Spiritus sancti, deinde conuersio gentilium, ae-
terna pax, ac severa vindicta aduersus incredulos Iudeos, et su-
perborum contemtio, et tandem status fidelium beatissimus. Be-
neficii effusionis Spiritus S. vero est fructus satisfactionis CHRISTI
ad

ad dextram Patris coelestis eucti, de quo testatur Daudes: שָׁלֵת
למרות שכח שבי ל��חת מהנה בארם ואף סוררים לשכנן יה אלהים
Ascendisti in altum (super omnes coelos ad gloriam infinitam)
captiuam duxisti captiuiratem, (carcerem infernalem, vel tenebra-
rum, vbi Satanás regnum suum tenet,) *acepisti dona*, (varia dona,
miraculosa, sanctificantia et administrantia) *pro homine*, (pro quali-
bet Adami sobole, vel pro tota hominum multitudine,) *quin etiam*
pro rebellibus, non quatenus tales manent, sed qui tales sub initium
fuerant, postea virtute Spiritus sancti ad meliorem adducti men-
tem, ad habitandum cum Deo, ut nempe rebelles in beato illo re-
gno apud Deum habitent, ex quo exilium meriti fuissent. Psalm.
LXVIII, 19. Addimus loca Ief. XXXV, 6. 7. vbi vates copiam do-
norum Spiritus largissimam tempore N. T. in primis cum gentibus
aliis communicandam sub imagine aquae et fluuiorum exhibet, et
c. XLIV, 3. dicit Deus: *Effundam aquam super sicutientem, et fluminam*
super aridam terram; effundam Spiritum meum super semen tuum, et
benedictionem meam super stirpem tuam. Quae benedictio iridem,
largam charismatum Spiritus sancti collationem inuoluit, per stir-
pem vero, multa soboles indicatur, et per semen credentes, ac
per aridum generatim miserae, afflictæ nec non tristes animæ,
indigentes aqua refectionis Spiritus sancti, intelliguntur. Sed de
quibus est sermo? Respondemus: Haec verba non ad V. T. tem-
pora solum spectant, sed cum conuersio gentium, ceu fructus effu-
si Spiritus sancti consideretur, ad Noui Testamenti aetatem hanc
promissionem potissimum pertinere, omnino existimandum est.
Quam effusionem Deus quoque promittit per Ioelem: *Erebit post*
haec (postquam Messias in carne exhibitus et regnum suum per
Euangelii praedicationem auspicatus fuit, diebus nouissimis, quos
PETRVS indicat Act. II, 17.) *effundam Spiritum meum super omnem*
carnem, h. e. omnes homines, quae promissio est vniuersalis, a
qua nemo excludendus sit, qui non repugnat Deo. Ioe. III, 1. II:
lustre quoque est vaticinium ZACHARIAE, vbi Dominus dicit: *Ef-*
fundam

C

fundam super domum Davidis, et super habitatores Ierusalem Spiritum gratiae et precum. c. XII, 10. Quae omnia sunt impleta in Apostolis CHRISTI, quibus post resurrectionem suam Spiritum sanctum impertivit. Io. XX, 22. et post suam adscensionem in coelos primo die festo pentecostes Spiritu Sancto eos baptizauit. Act. I, 5. Antea quidem hi discipuli etiam Spiritum sanctum acceperant, sed tamen multarum rerum coelestium erant ignari. Evidem credebant ac profitebantur, CHRISTVM esse viui Dei filium, Io. VI, 69. verum antiquo errore Iudaico de Christi mundano occupati regno, saluberrimum Redemptionis opus non intelligebant. Matth. XVI, 21. 22. 23. Luc. XVIII, 34. c. XXIV, 21. Io. XVI, 16. 17. 18. Act. I, 16. Hinc noua ipsis reuelatione opus erat, quae facta est per miraculosam Spiritus sancti effusionem. Postquam enim Spiritus sanctus sub venti vehementioris symbolo, die, post resurrectionem CHRISTI, quinquagesimo completo, domum, vbi Apostoli ac reliqui homines erant congregati, impleuerat, suamque indicaverat praesentiam, confestim signo visibili alio se manifestauit, cum linguae illorum viderentur dispergitae, tanquam ignis, ac omnes, qui una erant, Spiritu sancto repleti, ad stuporem omnium inciperent loqui linguis aliis peregrinis, quas antea non didicerant, propter Spiritus eloqui eis dabant. Act. II, 1. 2. 3. 4. Quo pacto Apostoli eiusmodi sunt instructi dotibus, quae ad apostolici munieris administrationem erant necessariae, quas inter maxime eminebat præter hanc multarum peregrinarum linguarum copiam, Θεοπνευστι, nempe ad loquendum et scribendum excitatio Matth. XXVIII, 10. Apoc. I, 11. Iudae, v. 3. verborum sententiarumque suggestio, 1. Cor. II, 13. 2. Tim. III, 16. ac denique loquentium et scribentium ab omni errore, nec non lapsu praeseruatio. 1. Thess. II, 3. 4. Non enim a se ipsis locuti sunt, quod PETRVS testatur: εγερθεληματι ανθεωκη πνευχθι ποτε προφητεια, αλλ. υπο Πνευματος αγιας Φερομενοι, ει ανταναι οισχηι Θεος ανθεωποι. Non enim voluntate hominis allata est aliquando prophetia, sed a Spiritu sancto acti, locuti sunt sancti Dei homini-

homines. 2. Petr. I, 21. Qui enim a Spiritu Sancto sunt excitati, cui
ἀδυτατον θευσασθαι, Ebr. VI, 18. eos oportet esse ab omni errore im-
munes. Sic placuit humani generis Liberatori, apud infirmos ho-
mines, despiciissimos, pauperes, sapientiae et eruditionis laude
destitutos, suos deponere thesauros, sed tamen tanta Dei potentia
suffultos, ut mille calamitates, cruciatus, supplicia, et ipsam mortem
non pertinuerint cruentam, verum eo fortiori animo CHRISTI pro-
fessi fuerint nomen. Rom. VIII, 35. 36. 37. Hunc in modum fistit
nobis vates noster legatos Dei, ingenua indole praeditos, et ad men-
tem sui Domini prorsus formatos פָּרְשָׁתָן Principes, singulare aucto-
ritate ac potestate, consilium omne Dei, de hominum salute, ad-
nuntiandi, pollentes, qui etiam virtute diuina se viros ac heroes
tantos praefitire, ut in coetu Dei militante contra omnes hostes,
calamitates, dura et aspera, quae sua sponte fustulerunt ac perpe-
si sunt, non solum dimicarint, sed etiam superarint, 2. Tim. II, 3.
5. ac perfisterint, ut plane nulla vi ab amore ac voluntate Dei Opti-
mi potuerint dimoveri. Quod autem שֶׁרֶה etiam significatum di-
micandi inuoluat, probamus exemplo Iacobi Patriarchae, ad quem
Filius Dei dicebat: כִּי שְׁרֵה עַמּוֹ אֱלֹהִים וְעַמּוֹ אָנָשִׂים וְהַכְּלָל Nam col-
luctatus es cum Deo, et cum hominibus, h. e. cum uno ex homini-
bus, et praeualuisti. Gen. XXXII, 28. Interea quanto maior lega-
torum CHRISTI fuit infirmitas humana, tanto maius pretium do-
ctrinae christiana est statuendum. Qua de re scripsit doctissime
multis meritis insignis B. Dominus D. STEMLERVS, post cineres
quoque nobis sancte colendus, ex 2. Cor. IV, 7. ubi *Doctrinae*
Euangelicae praestantiam, infirmitate Apostolorum confirmatam, ex-
*ponit.**) Quos vero Apostolos Deus N. T. oeconomos constituit,
qui Deo seruiuerunt, quod perinde est, ac regnare.

*.) Quo scripto ad orationem inauguralem inuitauit. Lipsiae, MDCCCL.

§ 4

De noua regni CHRISTI oeconomia.

Prisca V. T. oeconomia Mosaica cessante, noua N. T. oeconomia est introducta, quae noua est constitutio diuina in coetu diuiniori, ac tempore facta Messiae, in carne manifestati, et usque ad mundi finem perdurabit. Vtraque oeconomia eodem inititur fundamento, nempe gratia Messiae. Hinc Apostolus PETRVS: *Per gratiam Domini Jesu Christi credimus saluari, quemadmodum et illi, nempe Patres. Act. XV, ii.* Quae gratia veteris oeconomiae fundabatur Messia exhibendo ac futuro; sed gratia nouae oeconomiae fundata est Messia exhibito et praesenti. Bene AVGVSTINVS in Sermone super Ioannem: *Ante aduentum CHRISTI praecesserunt justi, credentes sic eum venturum, quomodo nos credimus in eum, qui venit. Tempora variata sunt, non fides. Nos credimus, CHRISTVM ex virgine venisse, in carne passum esse, resurrexisse, in coelum adscendisse; illi crediderunt nasciturum, passurum, resurrecturum, in coelum adscensurum.* In hac veteri oeconomia Messias per sacrificia et totum cultum Leuiticum, qua suam personam, officium et opera sua fuit adumbratus, et ob oculos praesciptus, ut eiusmodi pictura nihil aliud fuerit, quam institutio de Messiae futuri perpetuacionibus et morte. HERMANNVS WITSIVS, sagissimus rerum sacrarum indagator, in Exercit. in Symbol. Apost. p. 51. *Talis, inquiens, est Typorum institutio, ut Praeceptorum, qui pueros docent literas; figuram nimirum elementorum iis delineando: ita typi umbris suis lineas ducunt, et quasi elementa, ex quibus inter se combinatis, varieque junctis, integer sapientiae fidei liber componitur.* Haec apud B. D. BERNHARD WALHERVM MARPERGERVM, multae lectionis virum ad Iudaicarum antiquitatum peritisimum, in magno piaculari sacrificio p. 60. Ibi etiam p. 128. legimus IOANNIS CHRYSOSTOMI verba, quae notatu sunt digna: Θυσίας γενομένης επεθύκε τύπον καὶ εινον της μελλόντης οικονομίας τε Χριστοῦ Ιησοῦ καὶ μη δι-

EGU-

εαντας ωσι δεκτοι, καν γην δια την εικόνα ωσίν ευπρόσδεκτοι. ηδι τιθησι δια
πάντων εικόνα χρεια, και σκιαγραφει τα μελλοντα. Καν προβατονη θυομε-
νοι, εικων τη Σωτηρος, καν βρει, εικων τη κυρια, καν μοσχοι, καν
αλλοτι των προσφερομενων, καν πεζισερα και τρυγων, παντα εις τον Σωτηρα,
την αναφοραν ειχεν. Deus nempe, sacrificiis oblatis, exemplar impo-
suit, secundum imaginem futurae oeconomiae CHRISTI, ut, et si per
se non erant accepta, tamen propter imaginem valde probata essent.
Et per omnia (Deus) imaginem Christi proposuit, ac futura adum-
brauit. Et si ouis mactabatur, erat imago Servatoris; si bos, erat
imago Domini; et si vituli, et si juuena, et si quid aliud offerendo-
rum; et si columba et turtur, omnia ad Servatorem relationem ha-
beant. Homil. CLXVI, Tom. v. p. 986.

In noua vero oeconomia picturarum, figurarumque fideles
amplius haud indigent. Lex enim caeremonialis erat Σημα των μελ-
λοντων, το δε σωμα τη χριστη, Sciagraphia futurorum bonorum, corpus
vero erat Christi. h. e. lex habebat adumbrationem futurorum
bonorum, qua corpus pictum nobis praesentatur conspicendum. Col. II, 17. Ebr. X, 1. Fideles ergo in N. T. credunt in CHRISTVM praesentem et in carne exhibitum. Atque regnum CHRISTI
cum sit vniuersale non tantum Iudei, sed etiam reliquae gentes ad
illud inuitantur, vocantur, quae olim erant sine CHRISTO, h. e. Christum
ignorabant, alienatae a Republica Israelis, ac expertes foede-
rum promissionis, h. e. non erant foederi gratiae, quod Deus cum
populo Israelitico pepigerat, inclusae, nec illa spes ad salutem ae-
ternam eis erat relicta, et erant Athei in mundo, i. e. erant sine ve-
ra cognitione veri Dei: hinc non minus gentes, quam Iudei in so-
cietatem domesticorum Dei recipiuntur, causa in promptu est, quia
CHRISTVS pro omnibus hominibus passus et mortuus est, atque
ambos et Iudeos et gentes cum Deo et se ipso reconciliavit, ac
μεσοτοιχοι medium parietem septi dissoluit Ephes. II, 12. 14. 19. Ne-
gari igitur non potest, gentium conuersionem praecipuum esse
partem regni MESSIAE, de quo luculenta prostant testimonia. Sic

C 3

enim



enim Iacobus moribundus vaticinatus est, fore, ut Schilo, Pa-
cificatori adhaereant populi ac obedient. Gen. XLVIII, 10. Por-
to David Patrem coelestem introducens loquentem: *Dabo tibi
(MESSIA,) גּוֹיִם gentes*, (a politia Israelis adhuc separatas, nunc au-
tem muro intergerino sublato, ad unum ouile aggregandas,) hereditatem tuam, (quae tum iustam, tum securam, tum con-
stantem aeternamque comprehendit potestatem,) et possessionem
tuam fines terrae, h. e. totum terrarum orbem, ad ultimos usque ipse-
us fines, vel totam terram habitabilem. Ps. II, 8. Pari modo coe-
lestis Pater de filio suo: Dedi te in lucem גּוֹיִם gentium, ut sis fa-
lus mea, usque ad finem terrae. Ies. XLIX, 6. Et ipse MESSIAS:
దָרְשַׁתִּי לֹא שָׁאֵל נִמְצָאוֹ לֹא בְּקָשָׁנִי אָמַרְתִּי חֲנָנוֹ אֶל נָא
Quaesitus sum (ab iis, qui ante) prorsus non interrogav-
abant, inuentus sum (ab iis, qui antea) plane non quaesiuerant me, di-
xi: ecce ego, ecce ego ad gentem, non inuocantem nomen meum. Ef.
LXV, 1. Quae gentes conuersae nunc in N. T. eiusdem foederis
gratiae sium participes, quod Deus, cum domo Israel, et cum do-
mo Iudee inuit. Ier. XXXI, 31. Inde intelligimus verba Dei: *Ecce
creabo nouum coelum, et nouam terram, et non amplius erunt in me-
moria priora, et non adscendent super cor.* Ies. LXV, 17. Sensus est:
Et si fideles ex Iudeis et gentibus congregati hac in vita multis
premuntur calamitatibus: attamen, quoniam iustificati non sunt
amplius sub ira Dei, sed conscientiae fruuntur pace: hinc omnes
calamitates huius seculi tantum umbra quaedam sunt aerumna-
rum, quia post hanc vitam pios coelestia manent gaudia et aeterna.
Rom. VIII, 18. De novo hoc foedere dicit porro, Dominus: *ver-
tam tunc populis Iudeis et gentibus aliis labium putum, ut inuocent
omnes in nomine Dei Domini et seruant humero uno.* i.e. iunctum.
Soph. III, 9. Atque quantum mutatus fuerit animus ferociissimo-
rum, et crudelissimorum hominum, ac labia eorum, id patet ex
verbis Esiae: *Et conuocabitur lupus cum agno, et pardus cum ha-
edo cubabit, et leo iuuenis et bos saginatus una erunt, puerque parvus
ducet*

ducer eos. Juuenca itidem et virsus pascentur, vna cubabunt foetus eorum, leo autem sicut bos comedet paleum. Ies. XI, 6. 7. Sub qua imagine bestiarum atrocissimarum homines, in primis populi crudelissimi exhibentur. Quid rapacius est et ferocius lupo? quid saeuius est pardo? quid immanius leone, quid truculentius vrso? et tamen his belluis comparantur homines, qui vero auxiliis gratiae, ac verbi diuini virtute ita mutari queunt et emendari, ut qui antea fuerint saepe crudeliores ac violentiores leonibus, pardis, vrsis, aspidibus et basiliscis, mansuecant, inhumanitatem, ac ferociam suam exuant, alii homines fiant, et christiana charitatis exhibeant officia. Quem locum venerandus IOANNES THEODORVS LINGKIVS, frater et amicus noster honoratissimus, egregie diligenterque exposuit, vbi paradoxam pacis ecclesiasticae descriptionem dilucidat. *)

Bene Vinarienses Interpretēs in hunc locum: *Apostoli sancti, eorumque successores non pertimescent nomen CHRISTI inter barbaras et ferocissimas gentes, proficeri ac praedicare.* Quod etiam PAULVS, Apostolus, antea hostis acerrimus, sed in via, adpropinquans Damascum, repente coelitus a luce circumfulsus, ad CHRISTVM, quem furioso animo persequutus erat, conuersus, praefstitit: Act. IX, 3. 4. 5. 15. I. Tim. I, 12. 13. Idem sentiunt Interpretēs Tubingenes in Biblicis Summariis. Cuiusmodi vaticinia, numero plurima de conuersione gentium aerate nostra quoque coeli benignitate implentur. Cui enim ignota est Missio celebris verbi ministrorum Euangelicorum in remotissimas orbis regiones, et potissimum

*) In paradoxa pacis ecclesiasticae descriptione. Torg. MDCCLV. Cf de oeconomia N. T. 10. FRIDERICVS BERTRAM in Triumpho vere ac aeternae Deitatis Iesu Christi. Sect. II. § 82. seqq. Bremae, 1739. Nec non celeberrimus B. 10. FRANCISCVS BUDDEVS, in Institutionibus Theologiae Dogmaticae, Libro IV. c. I. §. 18. Francof. et Lipsiae, MDCCXLI.

mum in Indiam orientis, quae Missio auctore potentissimo Rege Danorum, FRIDERICO IV, Principe, qui vere ea, quae Principe quoque sunt digna, decreuit, quae per Numinis gratiam per quinquaginta et septem annorum spatium durauit, et in hunc usque diem liberalitate CHRISTIANI VII, perdurat. Tacemus societatem Anglicanam ad promouendam cognitionem CHRISTI beneficio Regis WILLIAMII III. singulari priuilegio confirmatam. Celebranda quoque est munificentia Reginae ANNAE, quae in Scotia instituit societatem ad propagandam fidem christianam in America. Reges etiam Suecorum: GVSTAVVS I. CAROLVS IX. et GVSTAVVS ADOLPHVS curae sibi habuerunt, ut coloni sui in Lappia. Suecica ferri ac barbari, doctrina christiana imbuerentur. Bene et nobis! Si nos eccl^{esi}a doctores, nostro munere hac fungimur fide, ut pote qui non feras gentes ac barbaros sed Christianos docemus, eosque multis spiritualibus locupletamus bonis, ut Deo probati inueniamur.

§. 5.

Notantur dissentientes, qui illustre hoc vaticinium de Rege HISKIA, eiusque regno politico exponunt.

Non solum Iudeorum magistri, KIMCHI, RASCHI, ABARBANEI, sed etiam christianorum nonnulli interpretes a litera recedunt. Prae reliquis vero omnibus HVGO GROTIUS, quemadmodum iste tantum non omnia illustria vaticinia: sic etiam hoc nostrum Messiae eripere, et ad nudum hominem, Regem HISKIAM, nulla urgente necessitate, ausus est transferre. Magnus profecto GROTIUS fuisset, si in sphæra sua mansisset, et manus de tabulis sacris abstinuisse, nec falcerum alienae immisisset messi. A mente vatis nostri longe absit GROTIUS, dicens: Ezechiae futuras virtutes praeditis (Iesaias) ut supra IX, 7. *Qualis Rex est, tales solent esse Principes.* Quo in loco citato coecis Iudeis haud ingratam praefstat operam, dum illum, sicut nostrum et plurima, non de CHRISTO, sed pessime de HIS-

KIA

KIA intelligit. Inter recentiores Interpretes, qui secus docent, chorum dicit CAMPEGIVS VITRINGA, pereruditus ceteroquin vaticiniorum sacrorum explanator, in commentario suo ita scribens: fol. 206. *Plures Hiskiam quidem Regem, eiusque regni attributa hic directe describi censem, κατα γενη, sed sub illo regno, ut typo et figura Prophetam spectari velle Regnum perfectius et gloriosum veri Messiae, Christi Jesu. His ego me aggrego partibus.* Rationes, quas ad stabiiliendam suam sententiam in medium profert, sunt, quia nihil dicatur in hac pericopa, quod historicè ad HISKIAM comode applicari nequeat, et quia in sequentibus, commate 9. 10. de vastatione per SENNACHERIEVM in Cananæa efficienda, putat agi. Quamvis haud negemus, contineri quaedam hoc in capite, quae non incommodè de HISKIA Rege pio, qui laude sua non destitutus est, explicari possint: tamen vero sequentia docent, multa multo Sublimiora, multa prægnantia et maiestatis diuinæ plena dici, quae in nudum hominem non conueniunt. Sed non est, quod dicamus, HISKIAM regem, eiusque regni attributa secundum literam describi, et sub typo et figura prophetam velle intelligi Regnum præstantius et sublimius veri Messiae. Quod non bene procedit. Ita enim eiusdem sententiae geminus singitur sensus, eorundemque verborum, aliis *figuratus*, et *improprius*, aliis vero proprius, vnde ambiguitas oritur et obscuritas. Et quod attinet ad comma 9. et 10. et sequentia, sermo ibi neutiquam est de SENNACHERIBI incursione, nec de excidio Hierosolymæ per Chaldaeos facto, sed de ultima illa, et stupenda nec non horribili euersione a Romanis perpetrata. Tandem VITRINGA ipse fatetur, vnum esse, quod videatur obstat, nimirum, vatem loqui de Regne futuro, cum tamen HISKIAS tempore illo, quo edidit prophetiam, iam regnaret. *Dubium certe, inquit, non contemendum, quod tamen a plerisque negligitur.* Tandem mirari subit, cur D. AVGUSTVS VARENIVS Rostochiensium Theologus, accuratus alias sacrarum literarum interpres, literalem deseruerit sensum, qui

D

non



non nisi unicus esse potest. Evidem is concedit, commate 15.
16. et sequentibus, a) agi de regno CHRISTI, tamen vero excipit;
saltum intercedere inter vaticinia varii generis; sed respondemus,
in hoc capite vaticinium regnare de N. T. tempore, non de Assy-
riaca, nec de Babylonica calamitate Iudeis illata, sed de calamita-
te a Romanis inficta. Testes nos habemus inter veteres non mi-
nus, quam recentiores interpretes. Inter illos HIERONYMVM, PRO-
COPIVM, CYRILLVM; inter hos IOANNEM BRENTIVM, LVCAM OSIANDRVM,
LEONARDVM HVTTERVM, IOANNEM FOERSTERVM, b) D. SEBASTIAN
SCHMIDT, D. ABRAHAMVM CALOVIVM in Biblis illustratis, opere il-
lo immortali, qui hoc dictum commate 8. ita in deliciis habuit, ut
a teneris Symboli loco illud elegerit, c) dignumque iudicauerit,
quod semper resonet in auribus nostris, imo, quod aureis literis
cordibus nostris inscribatur. Tandem etiam subiungimus IOAN-
NEM HENRICVM MAIVM, in Theologia Iesiana. d) B. CHRISTOPHORVS
SONNTAGIVS vero inde characteres boni Principis, maxime impe-
rantis, delineauit. e)

NUNC TE, VIR SVMME REVERENDE AMPLISSIMEQVE compella-
mus, non solum DOCTOREM Ecclesiae Deo probatum, sed etiam
DOCTOREM Scripturae sacrae creatum, ad quem gradum DOCTORIS
THEOLOGI ab Academia Lipsiensium celeberrima es nuperime
euectus. In quo gradu adipiscendo uno ore omnes fatentur, te
tam praecclare ac ferme sine pari sterisse non tantum in palaestra
disceptationis, sed etiam in reliquis speciminibus edendis, ut o-
mnium ora et oculos in TE, ac animos conuerteris. Atque haec
est causa, ob quam gaudeamus, ac nobis de tali tantoque Ephoro
gra-

-
- a) In commentario in Isaiam, P. II. orat. 15. Rostochi, 1673. b) In
commentario Witteb. MDCXCIX. c) In Sylloge programmatum
exegeticorum, p. 286. Lipsiae, 1720. d) Gissae Hassorum, MDCCIV:
e) Altorsi Noricorum, 1716.

gratulemur. Et cum, PRAESVL SVMME REVERENDE נָבִיב prinice
loco inter nos constitutus, גְּדוֹבָה ingenua, et quae Personae Epho-
ri digna sunt, liberali animo, haud coacte proponis, decernis et
constanter pertractas ac summa æquitate munus TVVM sacrum ad-
ministras, ad similem nos omnes accendis ardorem in fungendis
muneribus nostris sacris. Inseruit nobis elegans scriptum TVVM,
in quo nobis LVTHERVUM, Doctorum Principem, de Sacerdotum ra-
tione viuendi praecipientem, satis, ut quilibet Ministrorum verbi
diuini ex mente B. LVTHERI vespere omnino aliquid ex sacris literis
secum in corde ferat ad lectum, quo, velut mundum animal ruminans,
suauiter obdormiat. Non sic autem multum, sed potius modicum, be-
ne cogitatum atque intellectum, quod manu surgens, velut reliquias
serotinas, reperiatur. Quae et alia complura Lutheri praecepta, te
monitore ac duce, si obseruemus, non est dubium, quin Deo fu-
turi simus probati. Ut vero habeamus, quo te bono excellenti
etiam in posterum quam diutissime gaudere ac frui queamus, Nu-
men clementissimum ac praepotens supplices veneramur, ut in-
concußam TIBI, EPHORE GRAVISSIME, concedat valetudinem ac vi-
tam longaeuam, summasque animi dotes, quibus unus inter nos
omnes excellis, magis pro sua benignitate adaugeat. Magnum no-
strum LVTHERVUM, cuius memoriam nulla vñquam delebit oblivio,
legimus, inter alias cauſas etiam dignitate Doctoris Theologi
vocatum fuisse ad scripturam sacram, ex limpidissimis fontibus
Spiritus sancti docendam, qua doctrina fana, in sacris Bibliis, huc
vsque absconditis, reperta ac fundata, Heros ille coelitus datus
impulsus fuit, arduum opus vt susciperet, repurgandorum sacro-
rum et a corruptelis Pontificiorum eorumque depravatione vin-
dicandorum.

Quanto magis vero turbida et vere periculosa nostra sunt
tempora, tanto plures LVTHERI sectatores strenui, nostro coetui
emendato, sunt opus, qui mente ad mentem CHRISTI Principis

no-

nostri composita, veritatem diuinam contra depravationes aduersariorum nostrorum defendant ac vindicent. Quos inter principes Doctorum cum merito tuo sis numerandus, et haud quam ignorari possit, quanta ingenii cultura, quanta rerum scientia, prudentia, dicendi facultate, religione ac feroore TVAM, quam natus es, spartam ornes, non minus speramus, quam confidimus, fore, ut sis Deo probatus, PRINCIPÍ nostro CLEMENTISSIMO probatus, nostrae ecclesiae Praesidibus, nec non omnibus
bene recteque sentientibus probatus, et nobis omnibus
venerandus.




94 A 7368



KD A





45

**DE
RIBVS ECCLESIAE**
 IN
 MVNERE SACRO NOVI FOEDERIS
 O PROBATIS
 VM LOCVM *Jesaiac XXXII, 8.*
 EXPOVNNT ET
 REVERENDO DOCTISSIMO
 TISSIMOQVE DOMINO
 D M I N O
E B MERKELIO
 CCLESIAE PASTORI PRIMARIO
 TITI LONGE MERITISSIMO SCHO-
 INSPECTORI GRAVISSIMO
 SVO VENERANDO
 SVM MOS
LOGIA HONORES
 QVIBVS
 LLVSTRI LIPSIENSIVM ACADEMIA
 MDCCCLXXV. EVERAT EXORNATVS
 GRATVLANTVR
 DIVINI DIOCESEOS TORGAV.
 INTERPRETE
 JE ANDREA SIEPIO
 MITIENSI ET EPHORIAE ADIVNCTO
 E, TYPIS RUIDELIANIS.